Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1503

Quelle:
Copyright:

XV. *fol.* 208. e margine: *Sermo Magiſtri Johannis de Huſſinecz*, in illud: *Abjiciamus opera tenebrarum* &c. *Rom.* 13. Initium: *Triplici ratione ad loquendum urgeor, precepti poteſtate, fraterna caritate, timore dei omnipotentis* &c. Contra Clerum. Extat *Opp.* edit. *cit.* P. II. p. 57. Notabilis locus ille: *Serpit hodie putrida tabes per omne corpus eccleſie, et quo lacius, eo deſperacius, eoque periculoſius, quo interius. Nam ſi inſurgeret apertus hereticus, mitteretur foras et areſceret.*

XVI. *fol.* 212. *Sermo Magiſtri Jacobi de Miza*, in illud: *Hec omnia dabo tibi* &c. *Matth.* 4. Initium: *In exordio huius ſermonis antequam ad dicenda procedatur* &c. Vertitur ad *Venerabiles magiſtros et dominos preſtantiſſimos*, agitque de *triplici genere cleri cupidi* ſupremo, medio et infimo. Ejus mentionem non reperio.

XVII. *fol.* 217. p. 2. *Tractatus*, ut in calce, *de confeſſionibus editus a Magiſtro Johanne.* Videlicet *Wiclefo.* Initium: *Duo ſunt ſacramenta precipua in quibus eccleſia eſt illuſa ſcilicet ſacramentum eukariſtie et ſacramentum penitentie* &c. Contra Transſubſtantiationem et Confeſſionem auricularem. In Catalogis *citt.* non inveni.

XVIII. *fol.* 221. Ejusdem: *De Eccleſia.* Initium: *Suppoſitis dictis de fide tam in ſymbolo apoſtolorum, quam in ſimbolo eccleſie, quam eciam in ſimbolo Atanaſij* &c. Apud *Baleum* inſcribitur *de Eccleſia et Membris.*

XIX. *fol.* 230. male in Elencho praevio: *De Papa.* Eſt enim Adhortatio illa ſubpoſita *Ambroſio*, quae incipit: *Dilecte fili, dilige lacrimas* &c. et relata eſt *Cod.* CCLXXXVII. Ad calcem habet: *Explicit liber Ambroſij de moribus Eccleſie.*

XX. *fol.* 230. p. 2. *Tractatus*, ut in calce, *de chriſto et ſuo adverſario.* Initium: *Secundum katholicos Eccleſia eſt predeſtinatorum univerſitas* &c. Ut alibi. Sub finem nomen ſuum notavit Librarius *Johannes de Tarnow*, cui *Codex* hic usque ad *fol.* 304. debetur.

XXI. *fol.* 239. p. 2. Ut e calce: *Cruciata.* Initium: *Cum ſecundum fidem katholicam Rom. 8. timentibus deum* &c. Jam indicata inter plura *Wicleſi* alibi.

XXII. *fol.* 250. p. 2. Ejusdem, ut in calce: *Tractatus de fundacione ſectarum chriſto in oppoſitum introductarum.* Initium: *Motus ſum per quosdam veritatis amicos originaliter detegere* &c. An ille, quem *Baleus de origine Sectarum* inſcribit? Ad calcem finitus dicitur: *Anno domini Milleſimo CCCCXII. ſexta feria proxima ante Conductum Paſche hora quaſi viceſima. Conductus Paſche* communiter in *Bohemia* dicebatur *Dominica in Albis*, quod ab ea die inciperent haberi Supplicationes ſeu *Proceſſiones* circa paroeciales Eccleſias. Vide *Voigtii* τα μαχαιρα Differt. germ. *de Calendario Slavor.* T. III. Differtt. vulgo